



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 262. Et dicant plebi: surrexit à mortuis. v. 64.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

furari: alij diuites, & hi iam eum acceperunt & condierunt, uti voluerunt. Vide quomodo peccatores semel in reprobum sensum prolapsi, semper peius prolabantur.

**D**omine iesu, timent peccatores ne furto Corpus tuum auferatur è sepulchro, sed errant in inuio, & non in via. nam hoc ipso confitentur, tuum Corpus esse Sanctius quid, quam aliorum corpora. hæc enim filij, parentes, coniuges, amici, affines & consanguinei, efferunt, eijciunt, etiam magnis adhibitis impensis, ut illis careant: Iudæi autem isti fatentur tuum ab amicis tuis quæri, & è sepulchro efferri, rapi, aut saltem furto tolli. Magna profecto est hæc attestatio tuæ sanctitatis, magnum reliquiarum Sanctarum colendarum testimonium. Quando Iudæi impedire conantur ne à discipulis colantur.

§. 262. *Et dicant plebi: surrexit à mortuis, v. 64.*

Alius timor fatuus Iudæorum hic comparet: Timent enim, quod qui resurrectionem sui Magistrum non credunt, & conuicti credere detrectant: sint dicturi: quod resurrecterit: O iterum imo centies stulti: istane est sapientia huius sæculi? Apage. Nam si, uti timetis, isti furarentur tuum magistrum, & dicerent eum resurrectisse; & non probarent ipsum viuere aut ostenderent, quomodo possent dicere sine explosione eum viuere, & surrexisse, qui non uiueret. Sed & quid prodesset ipsis dicere & irrideri. Friuola igitur sunt omnia quæ tentatis consilia, quia à Deo sunt, à quo solo procedit omne bonum.

**O** Domine Iesu verax & iuste in omnibus, da gratiam hanc mihi, ne superfluous timor & inanis animum meum occupet vnquam, aut sim sollicitus circa ea quæ ad rem & ad gloriam tuam non spectant, sed timeam te solum offendere, ne incurram in tam insanas hominum cogitationes.

§. 263. *Et erit novissimus error peior priore, v. 64.*

Verum dicitis, o Iudæorum Principes & in lege doctissimi, nouissimus error vester est continuo peior priore primum gloriam vestram dilexistis & quæsiuistis, & cum videretis Christum gloriosorem esse vobis eidem inuidistis; ex inuidia eum & cuncta eius opera fugillastis, & cum sapientiæ eius non possent resistere, nec vere neo fecte agendo, accusastis falso, & iniuste occidistis; occisi gloriam etiam sepelire voluistis: sed in his omnibus semper eum magis exaltastis, adeo ut peruenerit ad dextram virtutis Dei, & nomen eius propagatum sit, ad fines orbis terrarum. Quid ad hoc dicere potestis aliud, quam: Ergo errauimus & nouissimus error factus est priore peior?

Yy 3

Domine